

M
A
6670



Tomus XIII
Miscellanea Philoby.

[Faint handwritten signature or initials]

thes
Diffe
Gra
Iur
Ho
Pos
Ex
Pen
Ch
Sen
A
Aß
Ex
Civ
Co
Ex
Ex
D
Ca
In
Ex
Te
Po
Ge
a
Ex



67.

68

ביתח אלהינו :

VENTILATIONUM PHILOLOGICARUM
Ad Codicem Hebraum Vet. Testamenti
EXERCITATIO TERTIA

De

VERSIONIBUS AC TRANSLA-
TIONIBUS EIUSDEM GENERALITER SIC
DICTIS.

Quam

In Electorali Acad. Wittebergenſi

PRÆSIDE

M. FRIDERICO SCHERERZIO,

Lunab: P. Laur. Caſarce.

Publicè Respondendo defendet

JOHANNES CLEMENS.

Ulzenâ-Lunæburgicus.

Ad d. V. Apr. Horis matut. in Aud. Min.

WITTEBERGÆ, Typis JOH. HAKII, M DC LIV.



FELICITER DEORUM PROPITIO!

VENIENS

VERSIO

LIBER

IN

LIBER

LIBER

LIBER

LIBER

LIBER

LIBER

LIBER



QUOD

FELICITER DEOQUE PROPITIO!

EXERCIT. TERTIÆ

ΚΕΦΑΛ. Α.

Pontificiorum Error circa Translationes S. Bibliorum. Augustini, Theodoreti, Richardi, ac Steuchi Testimonia. Vetus Inscriptio in Hispania. Praxis diversorum populorum. Philologus quidā Burgundus notatur obiter, & refutatur; Theodoretus & Beda defenduntur. Authentica citatur. Sixtus Senensis culpatur. Corn. à Lapide confessio. Ant. de Quevra pro nostra sententia. à Doctore Rabbino - Judaico citatus.

Errorē itaq; credimus in Francisco Cordubensi homine Pontificio, cū in Annotationibus suis Catholicis Art. i. c. 10. existimet, Versiones S. Bibliorum Scripturam S. obsecrare, ac proinde malè mereri Sectarios de Fidei doctrina, Divinam Scripturam, doctorumq; Commentaria transferentes in vulgarem Linguam; ut & in hujus Sociennis Petro Sutore Carthusiano, Op. de Transl. Bibl. Jo. Arboreo Theof. Lib. VIII. c. 11. Alph. de Castro, qui lib. 1. c. 13. contra her. valdè laudat Hispaniæ Reges, in specie Ferdinandi, ejusq; Conjugis Elizabethæ edictum, quò sub gravissimis pœnis prohibuerint, ne quis Litteras Sacras in vulgarem Linguam transferat, aut ab alio translatas quoque pacto retineat; Stanislaò Hosio Tom. 1. p. 664. 665. de Sacro vernaculè legenda. Theologis Parisiensibus Cens. contra Erasmum tit. 12. & aliis translationes S. Bibliorum rejicientibus.

Errorē credimus; Βῆθ' περιφοιτῶ; Contrariū etenim res ipsa svadet, sana ratio ista γελᾶσα, καὶ ἐκ ἐπιμετῶ emendat, ac corrigit, & quid commodi Translationes S. Bibliorum attulerint, & adhuc afferant, ipsa experientia satis demonstrat. In ævitatē specus paullulum exspatiemur, et videbimus hunc antiquissimum ritum non solum, sed & approbatum, quod

A 2

quod



quod nunquam factum, si non liceret ac conducibile esse.
 Audiamus ergo quid Divi PP. AUGUSTINUS Episc. Hippon. qui
 clar. Seculo Vto. & THEODORETUS Episc. Cyriae, &
 qualis Cyrilli Ep. Alex. & aliquando ejus adversarius,
 uti ex Concil. Ephesino notum, vivēs sec. eo quo Aug. de hoc ne-
 gotio loquantur, Iste Lib. II. de Doctr. Ch. c. 5. ubi ita: *Ex quo
 factum est, (scil. ex Lingv. confusione) ut etiam Scriptura divina,
 quā tantis morbis humanarum voluntatum subvenitur, ab unā
 Linguā profectā, quae opportunè potuit per totum orbem terrarum
 disseminari, per varias interpretum Linguas longè lateq; diffusa in-
 notesceret gentibus ad Salutem.* Hic v. Lib. V. de Curandis Gre-
 corum affectionibus tali modo: *Ἡμεῖς ἢ τῶν Ἀποστολικῶν, καὶ
 προφητικῶν δογματῶν τὸ κράτος ἐνεργῶς ἐπιδεικνύμεν. Γὰρ
 σα ἢ εἴς ἢ ἡλίω τῶν ἢ τῶν λόγων ἀναπλέως. Καὶ ἡ ἑβραίων
 φωνὴ εἰς μόνον εἰς τὴν ἑλληνῶν μετεβλήθη, ἀλλὰ καὶ εἰς τὴν
 τῶν Ῥωμαϊκῶν καὶ Αἰγυπτίων καὶ Περσῶν, καὶ Ἰνδῶν καὶ Ἀρμενί-
 ων, καὶ Σκυθῶν, ἔς Σαυροματῶν, καὶ συλλήβθην εἰπεῖν εἰς
 πάσας τὰς γλώττας αἰς ἅπαντα τὰ ἔθνη κεχρημένα διατελεῖ.*
 Quibus è recentioribus addimus Richardum, Corani Refuta-
 torem his verbis: *ἐν πάσῃ γλώσσῃ καὶ ἐπαρχίᾳ ὁ νόμος
 καὶ τὸ εὐαγγέλιον ὁμοίως εὐρίσκονται γε βάλμμένα.* Aug. Steu-
 chū Eugubinū, Episc. Kifamū Epist. ad Maxim. Grimanū præmissa
 Recognitioni Vet. Test. ad Hebr. Ver. ed. Venetiis A. 1529. in 4to:
*Si quis divinas divinarum Litterarum quanta sit majestas secum
 perpenderit, intelliget procul dubio, non injuriā accidisse, ut tot
 apud omnes gentes fuerint earum interpretes, apud quas primū
 haec littera florere coeperunt.* Ut & Nobilem quendam Venetum,
 qui in Itinerario suo testatur se in peragracione
 Hispaniæ in Metropolis Coanobio Carmelitano Codicem quē-
 dam Bibliorum Pentaglotton pulcro caractere descriptum,
 cum tali inscriptione, licet per injuriam temporis quodam-
 modo depravata, vidisse sequenti modo:

Qv.



QV. FLA.
CYPRIANO. DY. COR. R.
LAVINII. OLYSSIP.

* *

* * *

MAGNIS. SUMTIBUS. SOC. JESU.
BIBLIA. PENTAGLOTTA.
E.

SYRIA. PERS. --.

A NI. ET GRÆCIA

* * *

* *

ALLATA.

PUL. CHAR. DEPICTA.

PROUT. IN. SING. ECCLES. LECTA. SUNT.

A. D.

M. D. III.

HISPALI. IN MONASTERIO. SUPREMO.

EX quibus omnibus apparet, quis usus à tam multis temporibus
in Ecclesiâ viguerit. Notamus a. hic, quod, licet sint ex hisce
Anti-Criticis, qui in totum Versiones S. Bibliorum impugnēt,
alii tamen sese sistant, qui mitiores & æquiores esse cupiant, ut-
pote, J. Gord. Huntlaus Scotus qui Contr. 1. de V. D. c. 22. ita:
*Translatio Scripturae in Linguam vulgarem non est ex se illicita, ne-
que ullâ Lege Ecclesiasticâ prohibita, dummodò illa rectè fiat. item:
se, suosq; permittere, ut in quâ velimus Linguâ Scripturas habea-
amus translatas, modò transferantur sine errore, iisdem ut amur
ad nostram Salutem, non abut amur ad perniciem & verâ fide simus
imbuti.* Hinc ipsi Pontificii à paucis annis hunc morem obser-
varunt, uti Lovanienses, qui Gallicè Libros Sacros procurarūt,
& Rhemenses, qui Anglico idiomate Sacra Biblia ediderunt,
quemadmodum è Guilhelmo Whitakero constat. Usum tamē
variis cautionibus composuerunt, unde illud edictum in Indi-
ce Librorū prohibitorū edito primū Auctoritate Pii IV. post à
Sixto V. aucto, ac demū à Clemēte VIII. recognito Reg. 4ta: Cū ex-
peri-

*perimento manifestum sit, Si Sacra Biblia vulgari Linguâ passim,
sine discrimine permittatur etc. Utriq; sive mitiores, sive duriores,
verè *ποικλομήτῃ δόλων ἄτοι*, uti Homerus suū Ulyssē descri-
bebat, illi prorsus prohibere maluerunt, quam in fabricandis
cautelis laborare, hi astutiam magis amare, viden-
tes verè non posse prohiberi, tot cautionibus co-
hibuerunt, quò non magis valeat permissum, quam pro-
hibitum.*

Verùm, opponimus hisce Anti-Philologis Præceptum Je-
hovæ sanctissimum quod legitur in Libro Elleh Debarim c. iv.
v. 6. ubi Spiritus S. vult, ut populus sit eruditus, sapientiâ & sci-
entiâ plenus, ac mediâ Salutis teneat Conf. Col. iii. 16. 2. Cor. viii.
7. 2. Pet. i. 5. & Num. xi. 29. Addimus ipsam conditionem Cultus
Sacri, quem in Lingvis vernaculis peragendum esse D. Paulus in
Priori ad Corinth. c. xiv. satis testatur. Vid. quæ Corn. à Lapide
Comment. in h. l. p. m. 314. hisce formatis objectatiunculis, 1.
Dices, ergò Missa & Hora Canonica jam cani debent vulgari
linguâ. 2. Dices, Populus non intelligit Latinâ, quem ergò
fructum ex Missâ Latinâ percipit? satis insulsè respondeat. Et
quid perpetua Ecclesiæ tum Vet. quam Nov. Test. praxis innuit?
clarissimè non solum innuit, sed & demonstrat, in Lingvam
populo cuius vernaculam abiisse Scripturam, inque ea usurpatâ
esse. Cogitemus ordine ipsa tempora, & primò quidem statim
post reditum ex captivitate Babylonicâ, ubi, cum pura Lingua
Hebræa, quæ olim Populo Dei erat materna, & in quâ origina-
liter Mosche & Propheta scripserant, apud Judæos non amplius
in usu, sed ejus nitor idiomate Chaldaico permisceretur, sin-
gulari Dei benivolentiâ factum, ut in Lingvam Chaldaicam
Sacer Codex fuerit conversus. Succedit græcorum Imperi-
um, sub quò cum Idioma græcum omnibus ferè gentibus in-
notuerit, singulari DEI dispositione Vet. Testam. Libri diu
ante Christum natum in græcam Linguam fuere translati.
Quid

Quid de temporibus Nov. Testam. dicemus? nonne ipse Salva-
tor docuit Linguâ vernâculâ Syrâ? ac ipsius discipuli in die
non solum Pentecostes, sed & postea in universum mundum
dispersi cum omnibus gentibus locuti sunt patriâ Linguâ, ipsi
Evangelistæ quoque, & Apostoli Novum illud Instrumentum
Græcâ Linguâ litteris demandârunt, ideò, quia hæc lingua ple-
risque populis nota erat, & quasi materna. Porro, facta Ro-
mani Imperii amplitudine cum Lingua Latina magis magisque
nota fieret, in hanc secutæ sunt Versiones fermè innumeræ.
Denique cum sacrum Evangelium ad omnes gentes propagaba-
tur, Translationes Codicis Sacri in varias Linguas factæ sunt,
ita, ut jam habeamus Arabicam quoque, Syriacam, Persicam,
Æthiopicam, Armenicam, Scythicam, Italicam, Hispanicam,
Gallicam, Germanicâ, Belgicam, Anglicam, Hungaricam, Bo-
hemicam, Croaticam, Polonicam, Islandicam, Cambricam, Bri-
tannicam & alias. de quibus præcedenti Exercitatione.

Et hæc est illa praxis quæ ubertim declarat, esse utile, & planè ne-
cessarium, ut S. Scriptura transferatur in vulgares linguas, mi-
nimè pietatis interitus, minimè Religionis exitium, minimè
fidei perniciës, uti insulse Andræ in Defens. Trid. Fid. Lib.
IV. f. 241. fac. 2. Et de hac praxi Sancti Patres CHRYSOSTOMUS,
qui Vix. Sec. IVto Hom. in Joann. Op. Tom. 3. THEO-
DOR ETUS, qui Vix. Sec. Vto loco s. c. BEDA VENERA-
BILIS, Presbyter Anglus, qui Flor. Sec. VIIIto, Tom. 3. Hist.
gent. suæ, scripserunt.

Occurrendum hîc obiter intempestivæ censuræ philo-
logi cujusdam Burgundi Francois de Baudoin Tracta-
tu MSto, ejus inscriptio: *Tableaux de La Religion, ou*
Discours Chrestiens sur La Verite de toute la Sainte
Escriture à haut, & puissant Seigneur Mons. de Fervaques
Mareschal de France & Lieutenant pour le Roy en Normandie;
ubi

ubi putat, & in hac parte Adversarios peccare, dum in citationibus PP. quam multa, eaque absurda errata committant, Patrum dicta variè invertendo, detorquendo, malè citando, minimeq; Scripta supposititia, & κίφθηλα à legitimis discernendo, cujus exemplum Chap. 4. ubi de Transferendis Bibliis S. agit, affert, vehementer murmurans, quod tam subdolè à nostris Philologis, ut & Reformatis agatur, dum Theodoretus, atque Beda tam falsissimè pro transferendis Bibliis Sacris citari solent. Respondemus ad hæc brevissimis. 1. (Non nugis agendum Philologo, sed verè demonstrandum an ab Adversâ Parte Patrum dicta ac sententiæ, invertantur, in alienum sensum detorqueantur, atq; malè citentur? Contrarium potius probât, tot Scripta Nostratum, quæ, si justæ ac sinceræ Censuræ atq; κρίσει subjiciantur, examinatis quoq; libris polemicis, demonstrabunt, Catholicis istum errorem assignandum, qui cum reverâ egregii falsatores, detortoresque Sacrarum Scripturarum, audiant, quid mirum, quod & Patrum dicta ad sua deliria injuriosè trahant? 2. Sciunt Nostri Doctores, & Philologi, ac certè melius, quid de hisce Scriptoribus & Patribus Ecclesiasticis sentiendum, minimè, nec ullo modo pro Fidei principio sūt æstimandi, citandi, aut proclamandi, habent enim sua varia παραράματα, navos, hallucinationes, ac mentis peregrinationes, quod B. AUGUSTINUS suis Retractionum Libris testari potest. 3. Et hoc minimè ignoramus, discernenda esse, maximè Scripta spuria à legitimis, propria à supposititiis; Etenim Impostores versuti Aspidum ova aquilarum alis supposuerunt, habuit Paulus suos dolosos operarios, qui ipsius nomine litteras conscripserunt, unde Divi Pauli Cautela 2. Thess. 11. 3. Sub nomine Jacobi, Dionysii, Theodoreti, Ignatii, Cypriani, Athanasii, Basilii, Ambrosii, & aliorum illustriū Patrum multa barbara, insulsa, immò & hæretica scripta sunt, divulgata, vel ab hæreticis consarcinata, vel à talibus, qui cum iis, quibus affinguntur, neutiquam comparandi, ad quæ dignoscenda summa cum utilitate legimus Patrologiam Magni Nostri D. GERHARDI, ac Dn. D. HULSEMANNI Affinis ac Præceptoris
no-

nostri honoratissimi Tractat. de Scriptoribus Ecclesiasticis quæ ante annum Lipsiæ, cum ibidem viverem, publicè ad calamum dedit, & adhuc in eo laudabiliter pergit. E Reformatis aliàs habemus in his Criticum Sacrum A. Riveti, ut et Rob. Cocum in Cens. quorundam Patrum. Vid. & Jean Daille eruditos Libros de vero Patrum usu Gallicè conscriptos. In Specie, Theodoretæ, ac Bedæ Venerabilis dicta à nobis allegata ad vera & legitima horum Patrum scripta pertinere ipsius Baudoini gregalis Bellarmini Liber, quem de Scriptoribus Ecclesiasticis edidit, p. 145. testatur, atq; pro nostra sententia hæc à nobis rectè adducta ipsa viva inspectio comprobabit Sed hæc obiter. E diverticulo ut in viam, de Translationibus S. Bibliorum ut deniq; dicamus, notamus, & D. Imperatorem JUSTINIANUM de hoc negotio admodum prudenter pro summâ, ac eleganti suâ *ἔρι* judicasse, ita enim in Authenticis Nov. 146. Rubr. *Ut liceat Hebrais secundum traditam legem c. i. reperitur edictum è Latinâ versione ut sequitur: Sancimus igitur licentiam esse volentibus Hebrais per Synagogas suas, in quocunq; Hebrai omninò loco sunt, per Græcam vocem sacros libros legere convenientibus, vel etiam patriâ fortè (Italicâ hæc dicimus) linguâ, vel etiam aliorum simpliciter una scilicet cum loci etiam linguâ commutata, & per ipsorum lectionem, perquam clara sunt quæ dicuntur, convenientibus, omnib; deinceps, & secundum hæc vivere & conversari, neq; fiduciam esse his qui apud nos sunt expositoribus solam Hebraicam tradentibus, malignari hanc quemadmodum voluerint multorum ignorantia suam ipsorum ascendentes malam consuetudinem.* Et hæc hucusque recitata indubitata testimonia sunt Versiones Codicis Originalis in Linguam vernaculam à tam multis seculis usque in hunc diem DEO BENIGNO licitas fuisse, ac viguisse.

Dicant jam nostri Anti-Philologi Sacras Scripturas linguâ incognitâ propositas esse in Ecclesiis, dicant, non esse utile, sed magis scandalosum, ac erroris excitabulum, habent hic ipsam experientiam sibi contrariam. Nos contra ex dictis firmiter concludimus, Translationes S. Bibliorum in vulgare

B

Lin-



Linguam esse rem necessariam, maximè & utilem. Hic Sixtus Senensis, eruditus aliàs Monachus, Libro VI. Bibl. S. ann. 152. adhuc regerit, hanc nostram consequentiam, quæ à perpetuâ praxi Ecclesiæ desumatur, esse nullam, cum aliàs multa instituta sint in communem Reipubl. utilitatem, quæ, cum postea incommodum, & periculum attulerint, abrogata sint. Verum facilis Responsio, 1. Probandum huic Clerico, an Translationes Bibliorum per se incommodum afferant? contrarium potius verum, de quo venerandi nostri Theologi in Tract. illius quaest. *An Laicis Sacra Biblia legere competat?* 2. Usus linguæ vulgaris inter merè adiaphora numerare non decet, referendus potius, & maximè inter necessaria. Si adiaphorum esset linguâ vernaculâ proponere S. Biblia, tunc facile concederemus, perinde esse, si incognitâ & peregrinâ linguâ proponantur. Jam v. summè necessarius est linguæ vernaculæ usus in administrandis rebus Ecclesiasticis, aliàs omnis vulgus informandus esset in linguâ peregrinâ, ut intelligerent & mares & foeminae, quæ tali idiomate proferantur. Id quod ipse Corn. à Lapide Comm. in Ep. ad Corinth. p. m. 314. agnoscit inquit: *Alludit Paulus (v. 15. c. 14. prior. Ep.) ad illud Ps. XLVI. 8. Psallite sapienter, pro quo Hebraicè est מְשִׁיבִים id est, in Intelligentiâ, quod Septuag. vertunt σοφῶς id est, Psallite intelligenter, ut nimirum vos ipsi intelligatis, & sapiatis ea quæ psallitis, & ut alij, qui vos audiunt, ea, quæ psallitis, intelligant. Hoc enim est communis Psaltæ officium, ita nimirum psallere, ut possit ab aliis intelligi. Vid. quæ adv. 16. c. 14. 1. Ep. notârit. eod. pag. & seqq. & Don Anthon. de Guevara Episcopus Mondonedensis Carolo V. à concionibus part. 2. Epist. p. 446. cujus verba R. Gedal. in Schalch. Kabb. p. 104. non quidem מְשִׁיבִים, ut ait, sed quoad sensum adduxit, ex quò Hötting. Th. Phil. p. 252. 253. Pontificiis Philologis meritò obijcienda.*

ΚΕΦΑΛ. Β.

Boni Interpretis & Translatoris officium. Pius sit, Eruditus sit, Ju-

*Judiciosus sit. Duo Requisita. D. Franzij. Alia requisita Tralatoris.
Matthæius de B. Luthero.*

Succedit, ut de Ipsi Interpretibus sive Translatoribus aliquid dicamus, è quo perspicuum fiat, hosce minime obscuritatem Textui Originali inferre, uti in principio præcedentis capituli Cordubensis innuebat. Videndum itaq; quomodo agere debeant, ut munus Boni Translatoris implere possint. Ante omnia certum est, in Bono Oraculorum divinotum tralatore, antequam officiũ suum aggrediatur, prærequiri quædam necessariò, quibus si careat, munere suo haud decenter fungi posse omninò existimamus. Requiritur autem in tali translator primò Pietas, *ευσέβεια* etenim juxta D. Pauli effatum, *πρὸς πάντα ὠφέλιμος ἐστίν*, ac præcipuè ad hæc quoq; ubi Sãcti Spiritus eloquia absq; errore veræ Relligionis aliò quòdam idiomate proponenda sunt pariter, & interpretanda, ne Lectori Auditorivè scrupulus injiciatur, atq; hallucinationis malum ipsi procreetur. Hinc secundo loco Eruditionem ponimus, non mediocrem, aliqualem, aut levem, sed ut solent ii, qui excellenter, solidè ac absolutè, quantum quidem id in hoc imperfectionis circulo à nobis acquiri poterit: Theologus sit, Philosophus sit planè necessum est ac in omni scibili fermè exercitatus, atq; in omnibus eò pertinentibus fundamentaliter. Nam, Bone Deus! quæ hic sese offert rerum summitas? quænam difficultas? quænam varietas? quæ omnia non aspicienda solùm, sed introspicienda, discutienda, ac decenter juxta cynosuram Spiritus Sancti interpretanda & transferenda, idq; non leviter, ac absque judicio, sed cautè ac consideratè, hoc est, cum certa *κρίσει*, quæ ut Eruditioni tali adsit omninò requiritur. Sicut n. Homo animã privatus mortuus réverà est, ita Eruditio destituta recto judicio, & sicut Dux Salvator est sui Exercitus, sic judicium Eruditionis, Philosophus olim ad Alexandrum scribebat. Litteræ adventitia sunt ornamenta inquit.

Noster

Noster Petrarca Libro de ignorantia sui & multorum, Ratio vero & iudicium natura prius insita esse debent. Multi literati sunt, noctu dicq; in litteris haeret, ut ipsis inamori velle videantur, docta pronunciant, varia recensent, veterum legitimum usus, & applicatio ipsis deficit. Interdum acumine pollent verum nimio & odioso. Hinc antea nominatus Orator & Poeta Libro suo 1. quem de Remed. U. F. judiciosè conscripsit Dialogo 7. eleganter eò collimare videtur, quando inter alia sic in-
fit: Nihil sapienti odiosius acumine nimio, nihil v. Philosophanti molestius Sophista, ideò inuisam Palladi sinxere veteres araneam, cuius subtile opus, ac tenues tela sunt, sed fragiles, nulliq; usui: ut mucronis ergò, sic ingenii acies sit, non penetret modò, sed subsistat.
 Itaq; translator Bibliorum S. iudicium, verum decens, habeat, nec nimum sapiat, interim tamen sapiat juxta illud Achillis apud Euripidem in Iphigenia:

Ἔστιν ἤδὲ μὴ λίαν φρονῖν,
 Ἔστι δὲ καὶ ὡς χρησίμων γνώμην ἔχειν.

Consideratè, ac cautè agat, ut eruditio sua stipata sit eleganti & debito iudicio, & quæ ponat, iusto & decenter posita esse, quivis sapiens verè existimari possit.

Quibus præliminatis, Boni Interpretis & Translatoris officium esse dicimus, Autoris sui sensa plenè representare, id est, fideliter, cum diligentia, ac iudicio. Etenim non sufficit transferre in aliam linguam, sed quomodo ex debito transferendū, hoc cogitandum est. Verbum verbo reddere facilitatis esse iudicamus, ast sensum perfectè exprimere, hoc est quod Interpretem maxime decet. Requiritur ergò, ut cum de Traduttore S. Bibliorum dicimus, ex consilio Magni Nostræ Doctoris FRANZII Libr. de Interp. Ser. S. Part. 1. duo in tali Interprete: Unum, ut instructus sit ipsa notitia Scripturæ in-
 Lin-

Lingvâ suâ quoad vocalam, & Phraselogiam nativâ. Hoc enim opus habet, si tale quid laudabiliter agere velit, Lexicam, & Grammaticam nudâ scire, hæc neutiquam absolvunt Translatorem, & Interpretem, sed Phraselogiam ejusque Syntheticam eamque accuratam, & debitam rationem scire, hoc requiritur, nec hoc solum, sed tota Philologia adsit necessum est, nobile illud heptazodium, quod Philologia tanquam coelum in & sub se continet, Primò LEXICA, quæ veluti Saturnus planeta ordine primus, & tardissimi motus: & GRAMMATICA, quæ Jovis instar planetæ blandi. Deinde RHETORICA, quæ veluti Mars, propter fulmina orationis quæ tradit: LOGICA, quæ instar Solis, ob singularem utilitatem, quam experiuntur omnes facultates: & ORATORIA, quæ tanquam fecunda Venus suppeditans copiam. Denique POETICA, quæ instar Mercurii, propter varietatem quæ requiritur in Poesi, & HISTORICA quæ Similis Lunæ propter ubertatem. Hæc, inquam, omnia requiruntur in Philologo, atque dehinc in Interprete qui Philologus esse debet. Alterum, quod Interpreti observandum venit, est, ut diligentem, & accuratam inspectionem instituat nigri simul & rubri, uti quidam loqui amant, hoc est, omnium quæ Textum aliquem antecedunt, & consequuntur, versuum itidem, aut capitum considerationem, & Collationem. Sæpè enim numero evenit, ut aliquod vocabulum Græcum, vel Hebræum sit πολύσημον, & res multas significet: sæpè vocabula per se non sint ambigua, sed satis perspicua, interim nihilominus aut sensum proprium, aut sensum tropicum vehant. Sæpè utrumq; sensum tum figuratum, tum proprium sedes aliqua Textus admittere posse, aut debere videtur. Hinc facilè hærebit is qui Transferre conatur.

Verùm singula vocabula, & minutissima alicujus loci delibanda sunt, & examinanda; atq; cum agitur de vero intellectu unius versiculi, immò vocis, ordine legendi sunt proxima antecedentes quinque, sex, septem, & plures versiculi. Interdum

dum propter unum versiculum perlegendum totum caput. Sæpè numero propter unum versiculum diligentissimè & accuratissimè perlegi debent aliquot capita integra antecedentia & consequentia. Nonnunquam propter unum versiculum totum illud scriptum, seu integer Liber *πρόσω καὶ ὀπίσω* perlustrandus, & hæc singula, quæ jam enumerata sunt, non tantùm semel & qs. obiter, sed sæpius bis, sæpius ter, sæpius decies, reiterentur necessum est, uti fidelissimè hoc svadet antea laudatus noster D. Franzius. l. c.

Cœterum Interpreti sæpè necessaria Periphrasis, non enim tam etymologiæ vocem semper, quam verò ipsarum intellectui attendere debet, nec tenetur ubiq; verbum verbo reddere, cū hæc Interpretatio liberior & licita, vocem pro voce substituere, sensum tamen optimè exprimentem, quemadmodum & Bono Interpreti interdum necessarium est à directâ Textus versione desciscere. nihil v. de suo addat, nihil omittat, quæ in originali habentur, sed ea omnia transferat, quæ inibi posita sunt simili ordine & methodo, quò ii, quibus originalis textus haud notus & quorum gratia talis labor suscipitur, tanquam in perfectâ ideâ ea omnia quæ ab Autore primo consignata sint, absque errore & difficultate cognoscere queant; eum enim in finem transferimus ex unâ linguâ in alteram, ut ea quæ aliàs nota esse non possint, nota fiant. Quæ omnia exemplis possint ubertim declarari, nisi in nimium hæc exercitationes excrescerent. Interim demandamus Benivolum Lectorem ac harum rerum cupidum ad *Animadversiones Sacras ad Textum Hebr. Vet. Test. Arnoldi Bootij Angli Med. Doctoris, Polyhistoris, eximij edit. Londini anno 1644. in 4to. Lib. IV. c. 11. sect. 4. c. 4. f. 1. Lib. I. c. 11. f. 3. Lib. II. c. 11. f. 13. Lib. I. c. 8. f. 10. Lib. IV. c. 12. f. 9.* Nec hoc negligendum quod maximè opus habeat copia vocabulorum & phrasum unde B. Luth. in ep. Vom Dolmetschen: Wer Dolmetschen wil / muß grossen Vorrath von Worten haben / daß er die Wahl könne haben /

ben/ wo eins an allen Orten nicht lauten will. Ideò, ut selectum
instituere possit, quod nam proprius sensum Autoris exprimat,
nec ne, quodq; constructioni, elegantia, ac naturæ contextus,
magis congruum, vel non, ut, si fiat, quod hoc vel illud stare
nequeat, aliud, idq; debitum eligi possit, nam eò allaborandum
Translatori, ut eleganter, hoc est, pro genio Linguae trans-
ferat.

Denique, Bono Translatori & opus est collatio aliarum
Versionum, quibus collatis additâ suâ *ὑπόθεσι* eò facilius uno at-
que altero dubio se extricare possit, præprimis eò intentius de
suâmet propriâ versione judicare, nec solus hæc peragat, sed &
cum aliis, quorum auxilio utatur, singula communicet, sibi que
persvasum habeat, illud vetus diverbiū esse verissimum: *O-
culi plus vident quam oculus*. Audiamus modò, quid pientissim⁹
ille Theologus in Valle Joachimicâ MATTHÆIUS Conc. 13. de
nostro Megalandro, ac electissimo organo JEOVÆ, referat: Als
die ganze Deutsche Bibel ausgangen war/ und ein Tag lehrte im-
mer neben der Ansechtung den andern/ nimmet D. Luther die
Biblien von anfang wieder für sich/ mit grossen Eynste/ Fleiß/ und
Gebete/ und übersiehet sie durchaus/ und weil sich der Sohn Got-
tes versprochen hatte/ Er wolte dabey seyn / wo Ihrer etliche in
seinem Nahmen zusammen kommen / und umb seinen Geist bit-
ten/ Berordnet D. Martin Luther gleich ein eigen Sanhedrim
von den besten Leuten so damahls vorhanden/ welche Wöchentlich
etliche Stunden vor dem Abendessen ins Doctors Kloster zusam-
men kamen/ Nemlich D. Johann Bugenhagen/ Doctor Justum
Jonam/ Doctor Creuzigern/ Magister Philippum / Matthaum
Aurogallum/ dabey M. Georg Röer der Corrector auch war/ oft-
mahls kamen frembde Doctoren und Gelehrte zu diesem hohen
Wercke/ als Doctor Bernhard Ziegler D. Forstemius. Wenn
nun der Doctor zuvor die ausgangne Bibel übersehen / und dar-
neben bey Jüden und Frembden Sprachkündigern/ sich erlernet /
und

und sich bey alten Teutschen von guten Worten erfraget hatte/
 wie er Ihm selbste Schöpf abstecken ließ/damit Ihm ein Teut-
 scher Fleischer berichtet/wie man ein jedes an Schaff nennele/ kam
 D. Martin Luther in das Consistorium mit seiner alten Lateini-
 schen / und Neuen Teutschen Biblien / dabey er auch stetigs den
 Hebreischen Text hatte: Herr Philippus brachte mit sich den Grie-
 chischen Text/ Doctor Creuniger neben den Hebreischen die Chal-
 deische Bibel/die Professores hatten bey sich ihre Rabbinen/ Do-
 ctor Pommer hatte auch einen Lateinischen Text für sich/darinnen
 er sehr wohl bekand war. Zuvor hatte sich ein jeder auff den Text
 gerüst davon man rathschlagen solte/ Griechische und Lateinische/
 neben den Jüdischen Auslegern übersehen. Darauff proponir-
 te dieser Präsident einen Text/und ließ die Stimme herumb ge-
 hen/und hören; was ein jeder darzu zu reden hatte nach Eigen-
 schafft der Sprache / oder nach der Alten Doctoren Auslegung.
 Vid. quæ ibi sequantur. Ex his apparet, quam difficillimum
 negotium fuerit Biblia Sacra transferre, ac quam multa ad id
 requirantur, apparet tamen quoque, quam nihil simul sit in-
 ventum, & perfectum, & quod posteriores cogitationes etiam
 in his prioribus sint meliores. Nimirum, ut manus manum
 lavat, ita dies diem docet, & sic scribimus omnes, ut scriben-
 do proficiamus & proficiendo scribamus, eleganter inquit
 Reverendiss. Præsul WALTHERUS in Offic. sua Bibl. p. 371. Et hoc
 erat officium interpretis, sive Translatoris.

ΚΕΦΑΛ. Γ.

Lectoris Versionis officium. Judicium, ac diligens perscruta-
 tio. Locus Dan. X. 11. Job. XIX. 25. varia hujus versiones. Lu-
 theri elegans, ac ex genio Linguae. Objectiones Adversariorum contra
 eam. Lutherus defenditur & excusatur. Selectus Versionum habenda.
 An singulis aetatibus translationes mutanda?

Ro



Restat, ut & paucis adnotemus, quid in Lectore Versionum
requiratur. Nempè justum judicium, ac deinde diligens,
& accurata ipsius Versionis perscrutatio. Hæc duo adesse
debent, si quis Lectorum de interpretatione sententiam ferre
velit. Non statim invehendum in interpretem, sed prius pō-
derandum, Quis fuerit? cur hanc vel illam phrasin, con-
nexionem, vel aliud quid posuerit? quomo-
do id fecerit? quâ methodo, qua diligentia, quave fidelitate, &
deniq; ipsum idioma, in quod transferendum erat, accuratè &
præprimis quoq; perscrutandum est. Fatemur enim, esse non-
nulla in versionibus quæ ad Veritatem originalis Textus aliter
reddenda fuissent, sed hoc obstabat, quod isti Linguæ, sive idi-
omati, quod in Translatione activè se habebat, commodius vo-
cabulum, vel aptior quædam phrasin defuerit, quâ ista potuerint
exprimi, ne utiquam enim, præter naturam, ac consuetudinem
Linguæ, illud idioma invertendum, sed debita elegantia, quæ
Linguæ inest, ipsi tribuenda. Sic, ut exemplo rem declare-
mus, multa in versione B. Nostri Megalandri Lutheri sunt, quæ
ad Hebraici Codicis Veritatem aliter reddenda essent, verum,
quavis prudens, ac limitati judicii Lector cogitet, ac accuratè
consideret Germanico nostro idiomate, cujus naturam ac ele-
gantiam Beatus hic Heros observare voluit, non aliter exprimi
potuisse, nisi obscurè, ac contra naturam, atq; consuetudinem
Linguæ loqui voluisset, ut, quando illud **אִישׁ מִדָּמָוֹן** Dan. X.
ii. Angelus eloquitur, vertendum erat juxta Hebraicum tex-
tum, Daniel/du mann der begierungen/du mann der luste/verū
quid hoc? et quomodo Germanicè? Germanica quidem, sed
non Germanicè: sic, quando Genevenses hanc phrasin per *Hom-
me agreable*, reddiderunt, genium sui idiomatis quoq; respe-
xerunt, nam aliàs juxta fontes reddere debebant per *Homme
de desirs*, quod & in marginè notarunt, hoc v. Linguâ eo-
rum inusitatum, nec Gallicè fuisset: Itaq; B. noster Lutherus
justò, et ex naturâ Linguæ: *Du lieber Daniel/de quo ipse in
ep. suâ vom Dolmetschen* inter alia hæc: *Ich wets nicht ob man*

Ⓒ

das



das Wort *יְשׁוּעָה* so herköchlich und gnugsam in Lateinischer oder
 andern Sprachen reden möge/ daß es also dringe/ und klinge ins
 Herz durch alle Sinne/wie es thut in unserer Sprache. Sic illud
 Hiobi c. XIX. v. 25. *וְאֵנִי יָדַעְתִּי כִּי אֲחַיֵּי אֶרְוֶה בְּאֶרֶץ חַיִּים*
 ; *וְאֵנִי יָדַעְתִּי כִּי אֲחַיֵּי אֶרְוֶה בְּאֶרֶץ חַיִּים* Lutherus: Aber ich weiß daß mein Erlöser lebt / und er
 wird mich hernach aus der Erden aufferwecken. Videamus hic
 alias quoque versiones: Chaldaeus ita: *Et ego scio, quia Redem-*
ptor meus vivit, & post hac redemptio ejus consurget super me. Gre-
 ca operis Regii editio: *Οἶδα ἐγὼ, ὅτι ἀένναός ἐστιν ὁ ἐκλύειν με*
μέλλων, ἐπὶ γῆς ἀναστήσει. Basil: *οἶδα γὰρ, ὅτι ἀένναός ἐστιν ὁ*
ἐκλύειν με μέλλων ἐπὶ γῆς ἀναστήσεται τὸ δέσμαμα. Latina
 Vatabli: *Ego quoq; novi, quia Redemptorem meum esse viventem,*
& novissimum (qui) super terram surget. Vulgata: *Scio enim,*
quod Redemptor meus vivit, & in novissimo die de terra surrecturus
sum. Castalionis: *Equidem scio, vindicem meum vivere, & po-*
stremò in terram surrecturum esse. Tremellii: *Equidem ego novi,*
Redemptorem meum vivere, & posteriorem super pulverem resurre-
cturum. Pagnini: *Et ego novi Redemptorem meum vivum, & no-*
vissimò super pulverem (vel terram) scturum. Genevensium:
Quant à moy, j'esai, que mon redempteur est vivant, & qu'il demeu-
rera dernier sur la terre. Italica: *Io ancora sò che l mio Libero-*
re vive, è che sarà l'ultimo che si levarà sopra la terra. Belgica:
Want ic weet / mijn verlosser leeft; ende hy sal de laetste over het
stof opstaen. Piscatoris: *Jch zwar weiß / daß mein Erlöser le-*
bet / und daß Er der letzte auf dem Staub stehen wird. Hic hujus
 dicti varias versiones, easq; dissonantes adduxim, quas examina-
 re, inter se conciliare, et earum rationes inquirere, cuius do-
 cto Philologiae Cultori ob chartae angustiam relinquimus, inte-
 rim de B Nostri Lutheri translatione hoc pronunciantes, simul
 et affirmantes, eam esse elegantem, Textui Hebraico minimè
 contrariantem, nostraq; Linguae genio maxime congruam, nò
 enim est, quod quis dicere velit, in Hebraicis verba ita à Spiri-
 tu S. non possita esse, uti Lutherus Noster transtulerit, respexit,
 enim hic Heros magis ad sensum, quam ut ineleganter verbum
 ver-



verbo reddiderit, egit hinc interpretem non Metaphrasten,
quod etiam fidelis Translatoris, uti in precedenti capitulo mo-
nuimus.

Philologiae gratia Anti-Philologorum quorundam,
Eugubini, ac Enjedini Neo-Arriani objectatiunculas quibus
Versione B. Nostri Lutheri oppugnant in specie hinc breviter ap-
ponamus. 1. dicunt, Lutherum vitiose transtulisse, cum no-
men נחמך exponat adverbialiter per *hynch* / ac si legeretur,
נחמך Deinceps ut Jobi III. 1. Verum, Respondemus, Hebraeis
familiare esse, ut nomina ponantur loco adverbiorum, cui ac-
cedit, quod scopo Jobi, & verborum coherentia hoc congruum
erat. 2. dicunt, Lutherum sumere pulverem pro sepultura, & se-
pultorum receptaculo, cum in Hebraeo non habeatur *ex pul-
vere* sed *super* vel *supra*. ut c. XVII. 15. c. XLV. 24. Respondetur, si
verbum verbo reddendum, tunc utique *super terram* vel *in terra*
stabit, verum B. Lutherus sensum respexit, & scopum Jobi simul
attendit, quem dum non neglexerit, non est, quod accusetur.
Deinde per מנוח frequentius in Scriptura sepulcra denotantur,
ut Es. III. 14. Job. XVII. ult. c. XXI. 26. Es. XXVI. 19. Dan XII. 2. & a-
libi. Et illud מנוח plurimas admittit significationes, ut non tan-
tum significet motum ad locum, sed & *a* vel *ab*. 3. מנוח mo-
vet, quod B. Lutherus active vertit, ad quod V. B. Meisneri Re-
spons. solidissimas in Disputatione peculiari super hoc dictum
quam FIDEM JOBI inscripsit, hab. hic Wittebergæ A. 1616. d.
19. Jan. Resp. Summo postea Theologo Ratisbonensi Dn. Salo-
mone Lenzio. Alias vid. quoque Jo. de Pineda Jes. Comm. in
h. l. Jo. Mercerus Profess. Parisiensis in Comm. in h. l. Jo. Drusus
in Scholiis ad Jobum. & Sixtin. ab Amama Antib. suo Bibl. Alia
Exempla adessent, quæ hinc ex Codice Sacro additis diversis trãs-
lationibus apponi possent, nisi chartæ ac Legum ratio habenda
esset. Interim legant Philologiae Amatores quæ Adversarii è tota
B. Nostri Patris Lutheri versione Bibliorum carpèda, ac lacerada sibi
sumferint, uti è Reformatis Piscator suam novam versionem, quam
Anno



Anno 1604. edidit: & ex Pontificiis Melchior Zancherus in
regro scripto, quod è nostris Mich. Beringerus, Professor olim Tu-
bingæ, solidè refutavit atq; destruxit, ad quod in specie ven. Le-
ctorem demandamus. Ultimò, admittenda & citanda non
omnis versio, sed delectus habendus, præsertim cum vel ab ipso
Auctore, vel ab aliis recognita sit, uti B. Lutherus ipse monet
de suâ recognitâ quæ anno 1547. prodire cepit, & ao. 1542. abso-
luta fuit, & B. Hieronymus, qui Græcam emendavit, & Latinam
Nov. Test. ex collatione Linguarum orientalium. sicuti & He-
terodoxi fecerunt, Hispani, Itali, Angli, Galli, ac Belgæ quî
ao. 1637. novam excuderunt de quâ vid. Sixtinus Amama in
Scripto Belgico *Bybelsche Conferentie* ed. Amstelod. ao. 1623. in
4to, ubi veterem Belgicam Bibliorum S. versionem ad fontes
Hebraicos, & optimos quosq; interpretes examinat, ac ubi haud
benè aliquid translatum judicavit, aliter transtulit, additâ de-
claratione quare prior rejicienda, quod opus in multis locis ab
Auctoribus novæ Editionis adhibitum. de quibus singulis præ-
ced. Exercitatione. Hic Additamenti loco quæstionè quan-
dam adhuc exerciti gratiâ movemus, Controvertitur inter nos
& Pontificios. *An singulis seculis translationes mutandæ sint?* Pon-
tificii ut falsam suam Religionem de non legendis Bibliis ver-
naculè probent, in specie Bellarminus, sic argumentantur: *Si o-
porteret Linguâ vernaculâ, s. vulgari Script. Sacras publicè legere,
oporteret etiam singulis ætatibus mutare translationes,* quia lingvæ
Vulgares singulis seculis variè mutantur. (*7. Ledesima ad viginti
annos hoc defert.*) Verum breviter R. i. falsissimum, singulis secu-
lis linguas mutari, multis quidem, sed non singulis: Hebraica
n. duravit ab initiò mundi, Latina ultra mille annos &c. 2. Si
mutantur, sic non mutantur, ut planè incognitæ fiant. Tota
attendenda lingua, quæ cum non mutetur, licet quoad paucas
phrases, necessum non est, ut translationes roties mutantur.
SUFFICIT. Concl. ergò: SACRA BIBLIA TRANSFERENDA SUNT IN
QUAMCUNQ; LINGUAM, MODO CUM JUDICIO, DILIGENTIA AC
SUMMA FIDELITATE.

01 A 6640


ULB Halle 3
003 108 309




Sb.

VD 17







B.I.G.

Farbkarte #13

67.

68

בִּיהוּת אֱלֹהֵינוּ
VENTILATIONUM PHILOLOGICARUM
Ad Codicem Hebraum Vet. Testamenti
EXERCITATIO TERTIA

De
VERSIONIBUS AC TRANSLA-
TIONIBUS EIUSDEM GENERALITER SIC
DICTIS.

Quam
In Electorali Acad. Wittebergensi

PRÆSIDE
M. FRIDERICO SCHERERZIO,

Lunæb; P. Laur. Cæsareo.
Publicè Respondendo defendes

JOHANNES CLEMENS.

Ulzenâ-Lunæburgicus.
Ad d. V. Apr. Horis matut. in Aud. Min.

WITTEBERGÆ, Typis JOH. HAKII, M DC LIV.

